

CHRISTE 449.

LEONIS PAPA 10.

THEOD. 42. IMP. VALENTIN. 25

XXIV. Diofcorus cum decem Me- tropolita- nis conve- nire jube- tur.

Igitur & tua sanctitas, sumptis secum decem reverendissimis Metropolitanis Episcopis, qui sub tua degunt diocesi, & alijs similiter decem sanctis Episcopis sermone, & vita ornatis, qui in doctrina & scientia recta & immaculata fidei præcunctis apud cunctos eminent, proximis Kalendis Augusti Ephesum Metropolim Asia convenire absque ulla dilatione festinet, nullo scilicet, alio præter prædictos viros sanctam Synodum molestante: quatenus univèrsis sanctissimis & beatissimis Episcopis quos convenire per sacras nostras epistolâs sancimus, ad prædictam concurrentibus Civitatem, & subtilissime investigantibus & quaerentibus, omnis de medio error contrarius auferatur, Catholica autem doctrina & Orthodoxa fidei Salvatoris nostri Christi amicissima solidetur, & conserte effulgeat, quod univèrsis in posterum inconcussum, Deo propitio, & intemeratam custodiant.

XXV. Theodoro- retus pro- hibetur accedere.

Si quis vero, tam necessariam & Deo amicam Synodum prætermiserit, & non omni virtute secundum prædictum tempus ad præfinitum locum pervenerit, nullam excusationem, neque apud Deum, neque apud nostram inveniet pietatem. Sacerdotalem enim conventum non nisi quis mala propria conscientia sauciatus evitat. Theodoretum sane Episcopum Cyri Civitatis, quem pridem iustissimè soli vacare Ecclesie, sancimus non prius ad sanctam Synodum convenire, nisi univèrso sancto placuerit convenienti Concilio & ipsum concurrere, & pariter interesse. Si vero aliqua discordia de eo emerferit, absque illo sanctam Synodum convenire, & quæ iusta sunt ordinare præcipimus. Dat tertio Kal. Aprilis, Constantinopoli, Zenone & Posthumiano viris clarissimis Consulibus. Sed depravatam esse in die & Consulibus ejusmodi epistolam Theodosii ad Diofcorum scriptam, dum data habetur dicta die Martii, nemo non videt; cum constet ex iis quæ dicta sunt ultimam Synodi Actionem habitam vigesima septima mensis Aprilis, & post eam has ab Imperatore datas fuisse litteras. Quod vero ad Consules spectat cum eisdem superiori anno Consulatum gessisset certum sit, quid commune illis cum rebus anni præsentis? Restitutum est ergo: Tertio Kalendas Majas, Asterio & Protogene Consulibus.

XXVI.

Rursum vero ad eundem Diofcorum Theodosius has litteras dedit, quibus voluit ipsum eidem indictæ præesse Synodo (a):

(a) Apud Conc. Chal. Act. 1. Epistola Theodosii qua præficit Synodo Diofcorum.

Diofcoro reverendo Episcopo Alexandriae. Ante hoc quidem, Theodoretum Episcopum Cyri Civitatis præcepimus in S. Synodo minime pervenire, donec de eo, quod placuerit, S. Synodus constituat: aversati eum, quia præsumpsit potèrre contraria Ann. Eccl. Tom. VIII.

iis quæ scripsit de fide sancta memoria Cyrillus Alexandrinæ quondam Civitatis Episcopus. Quoniam vero suspicamur aliquos sectatores Nestorii assumere studium & conferre, ut omnimodo interfit sancto Concilio: hac de causa necessarium duximus, his sacris litteris ad tuam reverentiam datis, manifestum facere tuæ beatitudini & univèrse S. Synodo, quod nos regulas sanctorum Patrum sequentes, non solum propter Theodoretum, sed alios omnes, qui ad congregatam S. Synodum pertinent, auctoritatem & primatum tuæ præbentis beatitudini, scientes diligentius, quod & reverendissimus Archiepiscopus Hierosolymorum Juvenalis, & beatissimus Archiepiscopus Ithalassus, & omnis talis fervens amator & emulor Orthodoxæ fidei consentaneæ erunt tuæ sanctitati, radiantè per Dei gratiam honesta vita & Catholica fide. Eos namque qui aliquid per additamentum aliquod aut imminutionem conati sunt dicere præter quæ sunt exposita de fide Catholica a sanctis Patribus qui in Nicæa, & qui postmodum in Ephefo congregati sunt, nullam omnino fiduciam in S. Synodo habere patimur; sed & sub vestro iudicio esse volumus, quia hac de re & nunc sanctam Synodum disposuimus convenire. Haftenus ad Diofcorum Theodosius.

XXVII.

Porro intentatum hætenus sibi idem Theodosius Imperator jus arrogat & usurpat, dum celebrandæ Synodo Oecumenicæ, qui illi in omnibus præsit, Episcopum deligit; quod quidem Romani esse Pontificis, docent quæ acta sunt in habitis antea Synodis Oecumenicis: siquidem Nicæna Synodo Osius a S. Silvestro missus præfuit, Ephefino vero haud pridem celebrato Concilio Cyrillus Episcopus Alexandrinus a Caestino delectus, ut eorumdem Conciliorum Acta significant. Sed Deo vindice, ubi talem sibi Theodosius Pontificiam auctoritatem arripuit, Imperio privatur, anno sequenti ex hac vita sublatus, ut suo loco dicemus. Quod igitur talibus sacrilegiis est cœptum Concilium, quibus fuerit celeribus actum & consummatum, ejusdem Acta declarant.

XXVIII.

At observa dolum, quam caute agatur, ne quis ex iis qui constantissime essent adversus Eutychemet propugnaturi fidem Catholicam de duabus in Christo naturis, in Ephefinum indictum Concilium admittatur, ea reformationis specie, quod iidem essent hæresis Nestorianæ fautores: sicque Theodoretus exploditur, & Ibas suasio- ne Eutychetis fuit antea relegatus: contra vero illi, qui Eutychetis studiosissimi essent, Synodo interesse & præesse jubentur, eo quidem colore, quod essent hi hostes Nestorianæ perfidiæ; quasi non contra emergentem novam hæresim, sed contra Nestorium bellum suscipiendam esset, sed & inter alios nominatus Barsumas

Dolus Eutychnorum.